

Scriptis S. Catharina Senensis instinctu Spiritus Sancti dialogum brevem, sed succulentum et aureum, *De Consummata perfectione*, in quo perfectionem sitam esse docet in jugi et plena conformatione voluntatis nostrae cum divina; hanc autem conformationem fieri per dilectionem Dei ex toto corde et tota virtute, quae tria requirit, eaque ita illi describit Deus: «*Primo*, ut voluntatem tuam ab omni amore affectuque terreno et carnali prorsus amoveas, segreges, mundifices, ita ut in ista vita nihil transitorium, nihil caducum, nihil temporale ames nisi propter me, te propter me, et proximum propter me. Quoniam divinus amor terreni affectus, aut alterius cujusvis amoris consortium pati non potest. Unde quantum eum terrenarum rerum contagione infeceris, tantum et in mei amore peccabis, et de tua perfectione deperdes. Mentem quippe ut munda et sancta sit, omnia quae corpus sentit, fastidire necesse est. Effice igitur ne quidquam ex his quae a bonitate mea vestros in usus profecia sunt, te a me amando impediatur; sed omnia adjuvent, accendant, inflamment. Quoniam vobis illa creando concessi, ut bonitatis meae largitatem latius ex ipsis dignoscentes, me abundantiore quoque amore prosequeremini.»

«*Secundo*, ut omnes cogitationes, actus et opera tua dirigas ad meum solummodo honorem et gloriam, semperque solius meae laudis studiosissima, des operam precibus, verbis et exemplis, et quomodo possis, ut non tu tantum sic, sed alii omnes tecum pariter et eodem modo affecti sint, utque universi me unum norint, ament, colant; hocque mihi magis placet, quam primum, quoniam magis implet voluntatem meam. *Tertium*, quod reliquum est, si assecuta fueris, tibi nil deesse, teque consummatam integritatem consecutam scito. Illud autem hoc est, ut summo desiderio quaeras, nitaris et studeas ad hanc pervenire mentis dispositionem, ut mihi ita conjuncta sis, tuaque meae (quae perfectissima est) ita similis sit conformisque voluntas, ut nolis non solum malum, sed et bonum, quod ipse nolim, utque eveniat quidquid velit, et undecumque velit in istius vitae miseria, sive spiritualibus, sive temporalibus in rebus, minime frangatur pax tua, turbeturque quies mentis tuae; sed inconcussa fide semper teneas me Deum tuum omnipotentem magis amare te, quam tu teipsam, meque tui diligentissimam habere curam, et multo diligentior quam tu. Quanto magis sic te mihi commiseris dederisque, tanto magis te adjuvans, tibi semper adero, et tu ipsa clarius cognosces, ac uberius senties circa te dulcissimam charitatem meam. Ad hanc autem perfectionem perveniri non potest, nisi per stabilem constantiam, ac absolutam propriae voluntatis abnegationem.»

Et inferius: «Ad hanc igitur si pervenire vis, tibi est in summa humilitate perstandum, et ex vera atque intima miseriae et inopiae tuae cogni-

tione, id unum jugiter vehementerque affectandum, ut mihi soli pareas, meamque solius voluntatem observes. Quo autem id praestare queas, necesse est ut per mentis conceptum, et animi existimationem tibi habitaculum circum undique concameratum, ex solius meae voluntatis materia construas; teque eo concludas, et semper inhabites, ut quocumque eas, nunquam ex eo egrediaris; quocumque prospicias, nunquam extra aspicias; sed tuos mentis et corporis sensus mea semper circumstet voluntas, nec quidquam aliud loquaris, cogites aut efficias, nisi quod mihi placet, et meae esse voluntatis credas, sicque te quidquid agendum erit, Sanctus Spiritus edocebit.»

Et post nonnulla: «His vero per firmam fidem mente ac meditatione collectis, cognosces tribulationes, tentationes, difficultates, dolores, infirmitates et adversa omnia, ob nullam aliam causam me gubernante provenire, nisi utilitatis et salutis vestrae gratia, ut per ea quae videntur vobis mala, a pravitate corrigamini, et ad virtutem, qua itur ad verum et summum bonum vobis incognitum, perducamini. Cognosces praeterea hoc fidei lumine perlustrata, me Deum tuum magis posse, scire, velle bonum tuum quam tu, teque id nec posse, nec scire, nec velle absque gratia mea.»

Hae ratione Sancti fiunt perfecti, faciles, laeti et ad quosvis casus imperturbabiles. «Prospiciunt namque claro et purgatissimo mentis oculo, a me summo Universi gubernatore mirifica sapientia, charitate et ordine cuncta administrante, non nisi bona posse provenire, meque sibi ac rebus suis melius utiliusque prospicere, quam ipsimet per se sciant, possint ac velint; sicque omnibus in rebus quae eveniant, quasque sustineant (ut ut sint), me auctorem, et non proximum, firmo considerantes proposito, quadam invicta et inexpugnabili patientia ita roborantur, ut non solum aequo animo, sed libenti ac gaudenti sustineant, degustantes in omnibus, sive intrinsecus, sive extrinsecus accidant, meae ineffabilis dulcedinem charitatis. Quod est sentire de me in bonitate, in omnibus (inquam) tribulationibus difficultatibusque attendere, credere et laeto animo gratoque meditari, me disponere omnia suaviter, et ex profundo meae dilectionis fonte cuncta provenire. Atque hujus ultimae considerationis, compositionisque sanctissimae maximum bonum nil aliud corrumpit, impedit et perdit, quam propria voluntas vestra, et amor vestri, quae si tollerentur a vobis, tolleretur et infernus vobis: tum ille qui maledictis aeterno mentis et corporis tormento paratus; tum ille qui maledictis aeterno mentis et corporis tormento paratus est; tum ille quem in mortali vita multiplicitate agitatione animi, ac vario curarum aestu, imo sustinetis errore.»

Porro Ascetae et contemplationi dediti, ita Deum ex tota virtute diligunt, ut non tantum singula

ejus praecipua observare, in ejus voluntatem se suaeque cuncta resignare, illis per omnia se conformare studeant: sed etiam omnes animae vires et potentias illi unire, in eumque per amorem transfundere et transformare satagant, ut eum unum jugiter cogitent et ament, cum miro mentis gaudio et jubilo, ut in eo, velut abysso sapientiae, pulchritudinis, gloriae, voluptatum et honorum omnium immergantur et absorbeantur, idque faciunt per varios modos et actus. «*Primus* est, quo Deo perfectiones illas, quas habet, gratularis ex amore ardenti, et gaudes, adeo ut si qua illi deesset, et in tua foret manu, ei liberalissime illam tribueres; *secundus*, quo eas supra omnia aestimas, praeter Deo omnia despicias, omnibusque et tibi ipsi renuntias, ut uno illo fruaris, ut uni illi placeas, qui infinitus pluris est omnibus quae sunt, et in infinitis mundis esse possunt; *tertius* actus est, quo desideras illum amare summo affectu ob ejus perfectiones, quae singulae et infinitae sunt, et dignae amore infinito, et optas omnium creaturarum affectus, quos in Deum effundere toto corde possis, eumque totis viribus amare; *quartus*, quo gaudes de omnibus quae Deus fecit et facit, eo maxime nomine, quod ab illius manu et opera procedant, qui potentissimus, sapientissimus et optimus est; *quintus*, gaudere de honore et gloria, quae eum afficiunt Angeli in caelo, et optare ut homines et creaturae eum laudent et honorent; *sextus*, desiderare Deo uniri per cognitionem et amorem, et frui et conquiescere in illa unione, qua est creaturae omni conjunctus per essentiam, praesentiam et potentiam.» Ita noster Antonius Suequet, lib. III *Vitae vitae*, cap. xx, quo libro eleganter, docte et pie viam perfectionis docet.

Tales ergo insatiabiliter Deum desiderantes, assidue ad eum suspirant et anhelant, dicuntque: Si totus mundus meus foret plenus sanctis Angelis, omnes tibi corde resignarem, Domine, quia tu es amor meus; si haberem omnium mortalium affectum, omnem Angelorum et Sanctorum spiritum, te eo complecterer, in te viverem, moverer et essem. Utinam omnes miserorum poenas ferre possem, ut omnes te cognoscerent, colerent, diligerent. Brevis enim et levis est omnis dolor illi, quem tuus amor inebriat et transformat. «O pelagus sanctae dilectionis atque dulcedinis, Deus meus, veni et tribue te animae meae. Da, ut integro corde, pleno desiderio, flammantique affectu jugiter aspirem ad te, suavissime respirem in te, te omni creaturae praeferam, propter te omni transitoriae delectationi renuntiem, o vera et summa exsultatio mea. Pasee me, Domine, esurientem mendicum tuum jugi influxu divinitatis tuae: hoc peto, hoc desidero, ut vehemens amor me totum penetret, reseat, atque in se transmutet. Da, benignissime Redemptor, ut dilectione tui totus ignescam, totus a me ipso deficiam, in te solo delecter, te

solum sciam et sentiam. O superfluens abyssus divinitatis, trahe et immerge me in te, totam affectionem cordis mei ita abripe, et tua applica, ut ipsa ad caetera omnia sit prorsus exanimis.» Haec et plura D. Ludovic. Blossius in *Aspirationibus*. Vide S. Bernardum, serm. 1 et seq. in *Cantic.*, Bonaventuram in *Itinerario mentis*, et P. Alvarez de Paz, lib. III jam citato.

ET MINISTROS (Graece λειτουργούς, id est sacros ministros, puta sacerdotes et Levitas, qui sacris operantur, Deoque sanctam sacrificii liturgiam offerunt) EJUS NE DERELINQUAS, — sed primitiis, decimis, oblationibus ale et sustenta, ut Deo ministrare et liturgiam peragere possint.

33. HONORA (Syrus, lauda) DEUM EX TOTA ANIMA TUA. — Tria debentur Deo: *primum*, timor quasi Deo, de quo dixit vers. 31; *secundum*, amor quasi patri, de quo dixit vers. 32; *tertium*, honor quasi summo omnium Domino, de quo agit hoc loco. «Filius, ait Malachias cap. 1, 6, honorat patrem, et servus dominum suum; si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?» Adde: Et si omne bonum ego sum, ubi est amor meus?

ET HONORIFICA (Graece δόξα, id est glorifica; Tigurina, *magnifica*) SACERDOTES. — Honor in Scriptura tria complectitur, scilicet, venerationem obedientiam, sustentationem. Unde haec tria jubemur praestare parentibus, si indigeant, cum jubemur eos honorare. Eadem debemus sacerdotibus. Porro honor sacerdoti debitus est augustus et divinus, quia ipse est Dei vicarius, mediator et interpret apud homines. Hoc significat Graecum *glorifica*.

Ita Alexander Magnus adoravit Jaddum pontificem, vel potius Deum in pontifice. Vide Josephum XII *Antiq.* viii. Ita Constantinus Magnus honoravit sacerdotes et episcopos concilii Nicaeni. «Significabant hoc, ait Eusebius, lib. III *De Vita Constantini*, oculi submissi, rubor in vultu, decens ingredientis motus, morum humanitate, imperialisque clementiae mansuetudine permixta, etc.; positaque modica quadam sede, non seddit priusquam ab Episcopis annueretur.» Et inferius: «Unumquemque illorum pro cuiusque dignitate magnificis muneribus honorabat.» Adit eum libellos famosos contra Episcopos quosdam sibi oblatos noluisse inspicere, sed illico flammis cremandos tradidisse. Ita Theodosius Imperator honoravit S. Ambrosium, ut jubenti adytis templi excedere illico paruerit, ac poenitentiam ob eadem Thessalonicensium ab eo sibi impositam humiliter exceperit. Ita Carolus Magnus honoravit Pontifices Romanos, ut eorum accitu quater Romam profectus sit, ac Urbem totamque Italiam Longobardorum tyrannide liberavit. S. Ludovicus, Francorum rex sapiens et sanctus, mire venerabatur sacerdotes et Religiosos. Quocirca moriens inter aurea monita, quae Philippo primogenito dedit, haec exstant: «Sem-

per *sia* adiectus et devotus Romanæ Ecclesiæ, et *jus Pontifici*, haud secus atque spirituali patri, te inorigerum præbeas. Crebro confitearis peccata tua, deligasque tibi sapientes confessarios, qui te possint instituere et docere quid agere, quid vitare te oporteat, et coram illis ita te compares, ut audeant te sincere reprehendere, et vitia tua indicare tibi. »

Basilii Imperator Constantinopolitanus *Exhort. ad Leonem filium* (habetur tom. V *Biblioth. SS. Patrum*), cap. III : « Summo honore, inquit, prosequare matrem tuam Ecclesiam, quæ te in Spiritu Sancto lactavit, et tuo capiti, ad Dei per Christum laudem, coronam imperii imposuit, etc. Honora ergo Ecclesiam Dei, ut tu vicissim a Deo in honore habere : et sacerdotes ejus reverere tanquam spirituales patres, et deprecatores pro nobis apud Deum. Honor enim, qui sacerdotibus habetur, ad Deum refertur. Et sicut propter te ministros tuos in honore habere justum est : ita et propter Deum sacerdotes ejus magni facere, et in pretio habere, sanctum. Sicut autem honor, qui eis defertur, ad Deum pertinet : ita eorum contumelia et contemptus longe etiam gravius ejus iram provocat. »

ET PROPURGA TE CUM BRACHIIS. — Hæc sententia jam deest in Græco et Syro. Quinque manuscripti codices legunt : *Et propugnato cum brachiis*, itaque legendum censet Jansenius, *q. d.* Sacerdotes Dei tuis brachiis armisque, o laice, defende et propugna. Verum in lege veteri sacerdotes se suis armis defendebant, nec aliena brachia desiderabant, uti Judas Machabæus, ejusque fratres fuere pontifices, et simul duces belli, populique vindices. Rursum omnes codices impressi cum Rabano (qui legit, *purga*) legunt, et *propurga te cum brachiis*, quod dupliciter accipi potest, *primo, q. d.* Oblationibus brachiorum, id est, quas brachiis et manibus tuis offers, quasque labore brachiorum comparasti (brachium enim laboris est symbolum, ait Pierius lib. XXXV), *purga* et expia peccata tua. Ita Rabanus, Palacius et Lyranus. *Secundo, q. d.* Purga peccata tua, offerendo brachia dextra, id est, armos dextros victimarum sacerdoti. Hi enim cum pectusculo ex victima debebantur sacerdoti in sacrificio pacifico, ex lege *Levit. vii, 32*; hique Hebr. vocantur *יָד וְיָמִין* *scoo iamin*, a Septuaginta *βραχίονα δεξιόν*, id est, brachia dextra, ut patet *Levit. cap. vii, vers. 33*, et cap. *viii, 25*, et cap. *ix, 21*. Licet enim sacrificium pacificum primario non purgaret peccata, sed tantum offerretur pro pace, id est, incolumitate et salute domus vel reipublicæ, comitanter tamen et secundario offerebatur quoque pro purgatione peccatorum : pacem enim et salutem Dei habere non possumus, nisi habeamus ejus gratiam; gratiam autem habere nequimus, nisi a peccatis purgemur et expiemur.

Tropologie, « propurga te cum brachiis, » *q. d.* Expia peccata non tantum corde et ore, sed et

opere; non tantum confessione, sed et satisfactione, brachiis tuis exercendo opera poenitentiae et charitatis. Hujus rei symbolum est in natura: tradunt enim medici e corde sinistrum ramum majoris arteriæ ad sinistrum brachium porrigi; quo tacite monet nos natura, ut amorem in corde conclusum in brachia, id est, in opera, porrigamus, juxta illud sponsi ad sponsam *Cantic. cap. viii, 6*: « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, » hoc est, amorem, quo me corde amas, exterius per brachia exere, et in opera confer. Ita S. Gregorius et Theodoretus ibidem.

34. DA ILLIS PARTEM, SICUT MANDATUM EST TIBI, PRIMITIARUM (*q. d.* Da illis primitias, quæ sunt pars sive portio sacerdotibus ex lege debita; sub primitiis et decimas accipe) ET PURGATIONIS, — id est, decimas ait Lyranus. Verum decimæ non erant purgatrices peccati, sed debita ad sustentationem Levitarum. Melius Jansenius per *purgationem* accipit victimas pro purgatione leprosi, menstruatæ, aut alia ratione immundi, lege veteri præceptas. *Tertio*, apposite *pars purgationis* est portio victimarum, quam pro purgatione peccati lex offerri sanciebat. Ubi nota: Peccatum *Levit. vii, 1* et sequent., distinguitur a delicto, aliæque victimæ præscribuntur pro expiatione delicti: peccatum enim Hebr. *חַטָּאת* *chattat*, Græce *ἁμαρτία*, vocabatur crimen scienter et prudenter commissum; delictum vero Hebr. *אָשָׁם* *ascam*, Græce *πλημμελία*, vocabatur crimen ignoranter per oblivionem vel imprudentiam commissum. Dicit ergo: « Da illis partem purgationis, » id est, da illis victimas pro purgatione peccati in Levitico sancitas.

ET DE NEGLIGENTIA TUA (Græce, *περὶ πλημμελείας*, id est, de delicto ignoranter commisso) PURGA TE CUM PAUCIS. — Quod dupliciter accipi potest. *Primo, q. d.* Paucos adhibe socios vel testes, cum victimam offers pro purgatione delicti tui, tum ut famæ tuæ et pudori consulas: in sacrificio enim debebat fieri confessio delicti, eaque particularis, uti ostendi *Num. v, 7*; tum ut aliis sis exemplo, ne eos confessione tui delicti scandalizes, et ad illud imitandum invites. *Secundo, q. d.* Paucis victimis et sumptibus te purga, si pauper es, nec habes multa et magna quæ offeras. Ita Emmanuel Sa. Unde Rabanus: « Ostendit, inquit, quod oblatio, quæ ex humili mente, et pura dilectione Deo offertur, licet parva sit quantitate, multorum delictorum negligentias purgat, de quo scriptum est: Charitas operit multitudinem peccatorum, » *I Petr. iv, 8*. Et Jansenius: « Significatur, ait, quod si quis non possit sacrificium divitum offerre, saltem pauca illa et parva offerat, quæ a pauperibus exiguntur. »

35. DATUM BRACHIORUM TUORUM, ET SACRIFICIUM SANCTIFICATIONIS OFFERES DOMINO, ET INITIA SANCTORUM. — Græca de more hic concisa sunt. Igitur duos hosce versus, scilicet 34 et 35, sic effe-

runt: Da ei (sacerdoti) partem, sicut præceptum est tibi, primitias et pro delicto, de quibus dixi vers. 34, « et munus armorum, et hostiam sanctificationis, et primitias sanctorum, » de quibus hoc versu. Syrus: *Da illis id quod eis debetur, tanquam id quod præceptum est: panem oblationum, et primitias manuum*; Vatablus: *Portionem suam, ut mandatum habes, tribuas eisdem primitias et lustrationes, piaculariaque munera, tum præbendos armos ac lustralia sacrificia, primitiasque sacrorum*. Igitur, « datum brachiorum; » est « munus armorum; » nam, ut paulo ante dixi, in sacrificio pacifico armis dextri cum pectusculo duntaxat dandi erant sacerdoti, ideoque vocabatur armus separationis et elevationis, quia separabatur et elevabatur quasi donum Deo datum in sacerdote. « Pectusculum, inquit, elevationis, et armus separationis tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron sacerdoti, et filiis ejus lege perpetua, ab omni populo Israel, *Levit. vii, 34*. »

« Sacrificium sanctificationis, » *primo*, cum Dionysio Carthusiano, accipi potest holocaustum; hoc enim totum erat sanctum, id est, Deo consecratum et oblatum, quia totum in honorem Dei cremabatur, ut, sicut vers. præced. jussit dari sacrificia pro peccato, et hic per « datum brachiorum » dari sacrificia pacifica: ita per hostiam sanctificationis jubeat dari holocaustum: hæc enim erat triplex hostia, triplexque sacrificium Judæis præscriptum, *Levit. i, 2* et *3*. *Secundo*, Jansenius per « sacrificium sanctificationis » accipit sacrificium quod Nazareus offerebant pro singulari sua sanctificatione, *Numer. vi*. Nazareus enim Hebr. idem est, quod separatus, sanctus, consecratus Deo, quia tondendo comam, abstinens vino et sicera, totum quasi se Deo dedicabat. Plerique enim ex Judæis religiosiores faciebant hoc votum, et ad id tacite hic hortatur Siracides, ut jam sanctitatis studiosi nuncupant votum Religionis. *Tertio*, per « sacrificium sanctificationis » accipi potest sacrificium votivum, sive ex voto oblatum, quod, scilicet, voto nuncupasti et sanctificasti Domino; votum enim, quia voluntarium Deoque dicatum, dicitur estque sanctificatio votentem sanctificans, præsertim votum *cherem* sive anathematis, quo res Deo per votum promissa debebat mori, vel naturaliter, vel civiliter, itaque Deo quasi immolari, uti dixi *Levit. xxvii*. *Quarto*, Tigurina vertit, *sacrificia lustralia*, quibus, scilicet, expiabantur quis ab immunditia legali, et legaliter sanctificabatur, de quibus *Numer. xix*. *Quinto*, Lyranus accipit sacrificia pacifica, ut « datum brachiorum, id est armorum, exponat per « sacrificium sanctificationis. » Verum hæc duæ ultimæ expositiones minus commodæ et frigidiores videntur.

ET INITIA SANCTORUM. — Græce, et *primitias sanctorum*, τὸ *sanctorum* est neutrum, non masculinum, *q. d.* Rerum sanctarum. Quenam hæc? *Primo*, Vatablus vertit, *primitias sanctas*; quæbet ergo primitiæ, quia sanctæ, hoc sensu hic

accipiendæ sunt. Verum has sanxit vers. præcedenti. *Secundo*, Lyranus: « initia sanctorum, » inquit, id est, sanctificationes hominum sunt primitiæ, decimæ, et cætera quæ dicta sunt, quasi omnia jam dicta unico hoc verbo recapitulet, et summam complectatur. Huc accedit expositio Dionysii Carthusiani: « Initia sanctorum, » inquit, sunt præcipua, quæ Deo sanctificata, id est, consecrata sunt; Græcum enim ἀρχὴ (unde ἀρχαί, id est, initia sive primitiæ) «am initium quam præcipuum significat. Jusserat enim Deus præcipua et meliora sibi offerri. *Tertio*, magis genuine Jansenius hæc a præcedentibus distinguens: « initia sanctorum, » inquit, vocatur ea decimarum portio, quam ex omnibus decimis perceptis Levitæ debebant persolvere sacerdotibus, decimam, scilicet, decimarum, quæ ante omnia et ex optimis erat reddenda, ideoque vocatur « initia sanctorum. » Primitiæ enim vocantur sanctæ, quia Deo ex lege consecratæ et debita *Numer. xviii*. Verum hac ratione Siracides solis Levitis loqueretur.

*Quarto* ergo adde, « initia sanctorum » complecti decimas quaslibet, præsertim primas, quas Judæi ex lege *Numer. xviii*, tenebantur quotannis solvere Levitis, et per eos sacerdotibus; his enim Levitæ pendebant decimam decimæ, uti jam dixi. Triplices enim decimæ Judæis ex lege erant præscriptæ. *Primæ* erant omnium frugum, gregum et armentorum, quæ totæ dabantur Levitis. *Secundæ* erant, quas ex novem partibus residuis Judæi separabant, ut ex eis euntes ad tabernaculum ibi cum Levitis et sacerdotibus epularentur. *Tertiæ* erant, quæ singulis trienniis separabantur et dabantur pauperibus, viduis, pupillis et Levitis in modum eleemosynæ, de quibus omnibus dixi *Deuter. xiv, 22*. *Primæ* ergo et communes decimæ vocantur « initia sanctorum, » quia erant primitiæ cæterarum decimarum, puta secundarum et tertiarum; omnes enim decimæ erant sanctæ, quia ex lege sanctificatæ et oblatæ Domino: primæ ergo erant « initia sanctorum. » Rursum quælibet decimæ, etiam secundæ et tertiæ, possunt dici « initia sanctorum, » quia ipsæ erant sanctificatæ Deo, et per eas cætera omnia bona, quorum hæc erant decimæ, quasi per sui partem et primitias censebantur Deo esse oblata et sanctificata. Insuper secundæ decimæ erant « initia sanctorum, » quia erant decimæ rerum jam per primas decimas Deo oblatarum et sanctificarum; sic et tertiæ erant « initia sanctorum, » quia erant decimæ rerum, quæ per primas et secundas decimas Deo erant quasi oblata et dedicata. Unde ad tertiæ spectat, quod sequitur: « Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua. » Igitur hic Siracides complectitur quatuor genera rerum sacerdoti debitarum, scilicet *primo*, primitias; *secundo*, sacrificia et victimas; *tertio*, sacrificium sanctificationis, id est, vota; *quarto*, initia sanctorum, id est, decimas.

Quinto, planissime et aptissime, per *initia*, sive primitias sanctorum, accipias dona et oblationes pro templo, puta pro ejus sartis tectis, ornatu, vasis, supellectile, panibus, oleo, etc. Nam Sanctum, vel in plurali Sancta (ob eximiam sanctitatem) vocatur tabernaculum, sive templum. Rursum Hebraei *initia*, sive primitias, vocant omnem oblationem et omne donum, quod Deo offertur; sicut ergo *vers.* precedenti sanxit primitias (sub *quibus* et decimas intelligit) sacerdotibus ex lege debitas, sic hic sanxit primitias, id est, oblationes fabricæ et templo faciendas, perinde ac Canones in lege nova præcipiunt oblationes fidelium applicari non tantum sacerdotibus, sed et fabricæ templorum.

Mystice, Rabanus hæc omnia refert ad eleemosynam: sic enim legit et connectit: « Datum brachiorum, et sacrificium sanctificationis offer *initia* sanctorum, et pauperi porrige manum tuam, » etc. *q. d.* Eleemosyna, quæ datur pauperi, est « datum brachiorum, » quia brachiis robustis et liberalibus datur; eadem est « sacrificium sanctificationis: » *sacrificium*, quia in honorem Dei datur; *sanctificationis*, quia dantem sanctificat, vel ad sanctitatem disponit: ideoque vocatur « *initia* sanctorum, » quasi initium sanctitatis et justificationis.

Mystice, rursum nonnulli hoc accommodant Religiosis. Hi enim externis operibus per bona brachiorum designatis, necdum satiati, interna opera contemplationis et lectionis adjiciunt, atque in altari cordis holocaustum sanctificationis, id est seipsos, igne charitatis absumunt.

36. ET PAUPERI PORRIGE MANUM TUAM, UT PERFICIATUR PROPITIATIO ET BENEDICTIO TUA. — Tò *propitiatio* jam non est in Græco, nec in Syro, qui sic habet: *Etiam pauperi extende manum tuam, ut compleantur benedictiones tuæ.* *Benedictio*, Græce *εὐλογία*, significat beneficentiam, liberalitatem, largam donationem. Unde Tigurina, vel potius Vatablus vertit: *Ut plena sit tua munificentia expiatioque, q. d.* Non sufficit beneficium esse in sacerdotibus, quia hoc omni jure est debitum; sed, ut plena sit beneficentia, oportet eam extendere ad pauperes: illa enim pura est, pureque fit ex amore Dei, cum a paupere non speretur retributio. Hinc Deus pauperes sibi arrogat: « Tibi, inquit Psalter, derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor, » *Psal.* ix, 34. Unde hac beneficentia in pauperes, provocat eleemosynarius vicariam Dei in se benedictionem et beneficentiam, etiam in temporalibus, juxta illud: « Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. » Vide sequentia II *Cor.* ix, 6. Quocirca recte Noster addit *propitiatio*: eleemosyna enim propitium nobis facit Deum, ac peccata expiat, *Daniel.* iv, 24.

37. GRATIA DATUS (CORRIGE CUM ROMANIS, DATI) IN CONSPPECTU OMNIS VIVENTIS, — *q. d.* Datum, sive donum gratum est omni viventi. Syrus: *Miseri-*

*cordia enim est in oculis omnium creaturarum, a. d.*

Omnes eam amant. « Ubi enim est oculus, ibi est et amor: ubi manus, ibi et dolor; » Tigurina: *Gratiosa est apud vivos omnis munificentia, ac ne a mortuo quidem prohibenda; alii: Gratiam habet domum apud omnem viventem.* Quare perperam Dionysius hæc cum *vers.* precedenti ita connectit et explicat, *q. d.* Ut perficiatur benedictio tua tibi conferenda in die judicii, in conspectu omnis viventis, gratia dati, id est, propter eleemosynam pauperibus datam.

ET MORTUO (SYRUS, A MORTUO) NON PROHIBEAS GRATIAM. — Alii, *mortuo ne deneges benignitatem*, vel beneficium. Multiplex enim mortuo debetur. Primum, tueris et sepulturæ, in quo mire laudatur Tobias. Hinc et Canones sanciunt pro sepulcro et loco sepulturæ non licere exigere pretium, sed illum gratis esse concedendum. Audi concilium Triburiense *can.* 16, quod citatur 13, Quæst. II, cap. xiv: « In Ecclesiastico, inquit, scriptum est: Mortuo non prohibeas gratiam, sciens quoniam omnes moriemur. Et: Omnia quæ de terra orta sunt, in terram convertentur. Quid terra terram vendis? Memento quod terra es, et in terram reverteris (Et alibi de homine dictum est: Terram teris, terram geris, et in terram converteris, qui de terra sumeris). Et: Quoniam mors ibi futura est, et appropinquat; et si tardat, recordare quia non hominis est terra, sed Domini est terra et plenitudo ejus. Si terram vendis, invasione rei Dominicæ reus teneris. Gratis accepisti a Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis terram mortuis vendere, et debitam sepulturam denegare. » Secunda et potissima gratia, sive beneficium mortuis exhibendum, est oratio, sacrificia et suffragia pro eorum salute, ut a pœnis Purgatorii liberentur, et Dei visione colloque donentur, uti fecit Judas Machabæus II *Machab.* xii, 43. Unde postquam præcepit eleemosynam viventibus dari, ne quis ab ea excludat mortuos, subjicit his quoque eam esse faciendam, præsertim quia eleemosynæ quæ fiunt viventibus pro salute mortuorum horum, pariter sunt eleemosynæ, idque majori fructu et commodo. Tertia gratia est, ut eorum memoria et monumenta conserventur, ac fama et honor defendatur: item ut eorum filii, filiæ, uxores et nepotes juventur, alantur, protegantur. Vide S. Augustinum lib. *De Cura pro mortuis*, ubi, cap. ix, refellit Poetas et Gentiles, qui censebant animas velut umbras vagari, nec posse inferni fluvium transmeare, quamdiu corpora manebant inssepulta. Vide eundem lib. IX *Confess.* cap. xii, de sepultura S. Monicæ matris suæ, ac S. Dionysium Areopagitam, *Ecclesiast. Hierarch.* cap. vii; S. Cyprianum lib. I, epist. 9 ad *Furcitanos*; S. Ambrosium, lib. *De Tobia*, cap. 1; S. Chrysostomum, homil. 69 ad *Popul.*; Nazianzenum, oratione in *Cæsarium*. Quanta Gentilibus fuerit cura sepulcri, vide apud Alexandrum ab Alexandro, lib. III *Genial.* cap. iii, et ibidem Tiraquellum.

38. NON DESIS PLORANTIBUS (ob mortem parentum, aliamve calamitatem) IN CONSOLATIONE, ET CUM LUGENTIBUS AMBULA, — lugendo cum lugentibus, ut vertit Tigurina, et flendo cum flentibus: uti monet Paulus *Rom.* xii, 13. Syrus: *Neque differas (mœreris, tardes) a domo plorantis, et cum omnibus mœrentibus mœrens esto.* Non enim sufficit plorantes verbis consolari; sed et cum iis lugentibus lugere et plorare oportet. Hac enim luctus communiore dolor alleviatur, quia in alios dividitur, et ab iis quasi sustentatur. Ita fecit Job dicens cap. xxx, 23: « Flebam super eo qui afflicto erat, et compatiebatur anima mea pauperi. »

Hæc ergo prima est ratio cur compassione levetur dolor afflicti: quia, scilicet, compatiens aperit cor afflicti dolore oclusum et oppressum, facitque ut dolor effluat et in se derivetur. Unde S. Ambrosius lib. III *Offic.* cap. ult.: « Solatium, inquit, hujus vitæ est, ut habeas cui pectus aperias tuum, ut colloques tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur, etc., qui in lætis exultantem comprimat, in tristibus mœrentem erigat. »

Secunda est, quod compatiens afflicto, ideoque consiliorum inopi, sana consilia ad dolorem mitigandum suggerat, quæ dolor patientis in seipso inveniri non sinit. Unde *Proverb.* xxvii, 9, dicitur: « Unguento et variis odoribus delectatur cor, et bonis amici consiliis anima dulcoratur; » Septuaginta: *Disrumpitur autem a calamitatibus anima.* Unde et illud Philosophi: « Animo ægrotanti medicus est oratio. »

Tertia, quod compatiens amor et affectus tantum subinde est bonum, quantum malum est ipse dolor patientis: quare positus in bilance illi æquiponderat, tantumque solatur et lætificat patientem, quantum eum dolor affligit et cruciat. Rursum compatiens patienti dat quasi partem cordis sui: quare patiens duplici quasi corde, putam suo quam amici roboratus, levius fert dolorem. Ita S. Gregorius, lib. XX *Moral.* xxvi, in illud Job xxx, *Flebam super eo, qui afflicto erat*: « Exteriora largiens, inquit, rem extra semetipsum præbuit. Qui autem fletum et compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit. » Addit deinde novam rationem: « Idcirco autem plus compassionem quam datum dicimus: quia rem quamlibet plerumque dat etiam, qui non compatitur; nunquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspiciat, negat. »

Quarta, quod patiens sit quasi in mari amaritudinis demersus, ex quo per se emergere nequit: compatiens ergo compassionis affectum ei exhibens, quasi manum ei præbet, qua eum extrahat; sicut piscatores escam suggerunt pisci, ut eum e mari educant. Affectus enim est quasi esca, qua patientem adescat, itaque secum elevat ad robur

et spem melioris fortunæ. Ita S. Gregorius lib. III *Moral.* cap. x: « Ordo, inquit, consolationis est, ut, cum volumus afflicto quempiam a mœrore suspendere, studeamus prius mœrendo ejus luctui concordare. Dolentem non potest consolari, qui non concordat dolori; quia in eo ipso quod a mœroris afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, a quo mentis qualitate separatur. Emolliiri itaque prius debet animus, ut afflicto congruat, congruens inhæreat, inhærens trahat. Neque enim ferrum ferro conjungitur, si non utrumque exustione ignis liqueatur; et durum molli non adhæret, nisi prius ejus duritia temperata mollescat, ut quasi hoc ipsum fiat, quod curatur ut teneat. Sic nec jacentes erigimus, nisi a rigore nostri status inclinemur. Amici igitur B. Job, ut afflicto a dolore suspenderent, curaverunt necessario simul dolere. » Nostræ ergo lacrymæ lacrymantium lacrymas detergunt et desiccant; sicut pluvia pulverulenta, quæ pulverem excitat, desiccatur, non humectat.

39. NON TE PIGEAT VISITARE ÆGROTUM: EX HIS ENIM IN DILECTIONE FIRMABERIS. — Græca: *Ne pigeriteris* (et sic legit S. Cyprianus lib. III *Testimon.*) *visitare ægrotum: ex his enim diligeris*; Syrus: *Neque tædeat te visitare infirmos, quia propter hæc diligeris*; Tigurina: *Ne dubites invisere ægrotum; nam gratiam ex eo colliges.* Græcum enim *δυσκῆν*, significat pigere, tædere, gravari, dubitare, differre, negligere, timere, tardare, ægre et gravatim facere, omittere. Unde *ἔκνος* est cunctatio, ignavia, segnitias, tarditas, dubitatio, timor. Hi enim affectus connexi sunt, et unus ex alio nascitur, eumque comitatur. Inde Oenus ille fabulosus piger apud Ovidium. Quia enim morbi et morbidi nihil læti, sed omnia tristia, ipsamque mortem afferunt et representant, hinc oritur tædium et pigritia eos visitandi. Jubet ergo hoc tædium superari fervore charitatis, uti fecit noster S. P. Ignatius Parisiis ab ægro, licet sibi infido, accersitus Rothomagum. Tribus enim primis leucis tantam sibi a dæmone sensit injici gravedinem, ut videretur sibi habere pedes plumbeos; sed illud constanter tolerans et superans discussit adeo, ut reliquum itineris currendo instar cervi, divinis consolationibus affluens peregerit, uti refert Ribadeneira lib. V Vitæ ejus, cap. ii. Signum ergo languentis et deficientis dilectionis est, ægre et pigre visitare infirmos. Unde in concilio Toletano, *can.* 2, quod citatur distinct. xxv, canon. *Unum*, inter alia peccata venialia igne Purgatorio expianda, ponuntur hæc: « Quoties plus loquitur quam oportet, plus facit quam expedit: quoties pauperes importune petentes exasperat: quoties in carcere positos tardius requisiverit, et infirmos tardius visitaverit. »

Rursum *visitare*, non solum adire et visere, sed et solari, consulere, benefacere, omnique ope juvare significat. Denique ex his, scilicet, omnibus jam dictis, puta dando eleemosynas,